



Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

III. Meditatio: De malo Tepiditatis, Reliogenesis apprimè cavendo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)

12. Negligens custodia sensuum, visus, auditus, &c. Etiam in Religiosis per has fenestras, non tantum defectus, sed & mors ascendit: Non putet Religiosus, se tutum fore à diabolo, quia est sub clausura, si clausuram sensuum suorum non adhibuerit. Nec porta Religiosa bene obserata proderit ipsi, nisi portam sensuum firmissimè muniverit.



DIEI TERTIÆ
MEDITATIO III.

*De malitia Tepiditatis, Religiosis
maximè cavenda.*

Meminit illius S. P. N. in lib. Exerc. Reg. 9. ad motus animæ discernendos, his verbis, *Causa desolationis tres sunt precipua; prima, quia propter nostram in Spiritualibus studiis seu Exercitiis tepiditatem atque acediam, consolatione divinâ meritò privamur, &c.*

ORATIO PRÆPARATORIA, &
PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUDIUM II. Pete à DEO gratiam, vitandi periculosissimam in vita spirituali tepiditatem.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem :
 Jerem. cap. 48. *Maledictus, qui facit
 opus Domini fraudulenter : Alii legunt, ne-
 gligenter.* Hoc audiens considera specia-
 lem quandam maledictionem, præ aliis
 vitiis, tepiditati adnexam esse, quia
 tepiditas etiam ipsa bona quodammodo
 in malum vertit, & sic ipsi viscera bo-
 nitatis divinæ, bonis actibus innexæ,
 lædit. Alia peccata in eo sunt, quòd
 homo mala agat, sed tepiditas facit, ut
 homo non mala, sed bona agendo, ma-
 lè agat, & ipsa actione actionem de-
 struat, non sicut vana gloria, aliique
 fines mali extrinsecè tantùm bona vi-
 tiantes : atque ita tepidus continuè pec-
 cat, nam etiam bona agendo, orando,
 Missam celebrando, &c. peccat : quò
 quid malitiosius ? hinc tepiditas est
 peccatum peccatorum, mors merito-
 rum, pulvinar diaboli, exitium om-
 nis boni, infernus vivorum, imitatio
 dæmonum, gratiæ divinæ venenum,
 contristatio Spiritûs Sancti. An non
 exhorresces ad hæc omnia, & non de-
 testaberis tepiditatem ?

II. Audi Deum dicentem Eccles. 10.
In pigritiis humiliabitur contignatio. Hæ-
 bræus legit : *inclinabitur, corruet.* Et con-
 sidera mala, quæ pigritia, seu tepidi-
 tas infert animæ, & fabricæ, quam in
 ea ædificat Deus. 1. Tepidus tentatur
 frequentius, impetiturque ab hostibus,
 tanquam

tanquam civitas sine ulla munitione. 2. Vincitur crebrius, utpote evanida red-
 dens auxilia Dei. 3. Surgit tardiùs, & ægriùs, tanquam paralyfi tactus. 4. Sa-
 natur difficiliùs & periculosiùs, quia te-
 pidorum medicina non est nisi gravis
 ruina. 5. Relabitur impotentiùs, tan-
 quam assuetus morbo. 6. Visiatur ra-
 riùs à Deo, in cujus obsequio nauseat.
 7. Cadit graviùs, motu vitali destitu-
 tus, instar plumbi. 8. Moritur timidiùs,
 utpote à Deo evomendus. 9. Salvatur
 difficiliùs, quia salutis opera tam tepi-
 dè est operatus. 10. Damnatur certiùs,
 perinde atque lethargici dormiendo
 moriuntur, tanquam cadaver. 11. Pro-
 perat ad infernum acceleratiùs, quia
 ante mortem damnatorum poenam ha-
 bet, dum more eorum bonum odit. 12.
 Mergitur in inferno profundius, dum
 in tanta occasione bonorum damnatur.
 Tigris te nutrit, Religiose, si his non
 moveris ad excutiendam tepiditatem,
 & ferventer serviendum Deo.

III. Audi Christum Dominum di-
 centem, Matt. 7. *Ex fructibus eorum cog-
 noscetis eos.* Hoc audiens, considera fru-
 ctus seu effectus tepiditatis tuæ, enu-
 meratos à Patre Claudio, in Epist. de
 Renov. Spiritùs; suntque hi. 1. Orare
 ac meditari divina, sine sensu animi &
 fructu. 2. Ægrè se colligere, & ad cor
 redire. 3. Cogitata, dicta, factaque

sua, sine pudore ac proposito emendationis cursim examinare. In res externas libenter effundi, idque non proximi iuvandi causâ, sed tædii vitandi. 4. Solatiola à rebus creatis cupidius emendicare. 5. Liberiùs obloqui, & aliena dicta ac facta carpere. 6. Religionis disciplinam, suavem olim ac levem, iniquo animo ferre. 7. Ad otium adspirare. 8. In animarum zelo languere. 9. Ægrè, tardè, repugnanter obtemperare. 10. Honorificè ab omnibus, indulgenterque tractari velle. 11. Immunitates, & commoda singularia postulare. 12. In animum inducere, sed laborare plus æquò, nihilque esse, quod non sibi debeatur. Vide hos infelices fructus tepiditatis tuæ, detestare illos, & corrige.

COLLOQUIUM: O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Ô amor, qui nunquam vinceris, vince teporem meum! Heu mihi, quia ad ignem algeo! & in sole tenebresco! ignem comedo, dum te Domine JESU manduco, & tepeo! ah sit tandem finis teporis mei! In fine dices Pater, & Ave, &c.

